




DISSERTATIO INAVGVRALIS

DE

FREQVENTI CATARRHORVM EX PRIMIS VIIS ORIGINE.

QVAM

CONSENTIENTE EXPERIENTISSIMO

MEDICORVM ORDINE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

D. XI. DECEMBRIS ANNI MDCCLXXVI.

PVBLICE DEFENDET

MAVRITIVS VLRICVS WILLICH

RVGIA-POMERANVS.

GOETTINGAE,

Typis IOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.

ACAD. TYPOGR.

VIRO

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

ADOLPHO FRIDERICO

AB OLTHOFF

SACRAE REG. MAIESTATIS SVECICAE A CONSILIIS POMERANIAE RVGIAEQVE REGENDAE etc.

AVVNCVLO SVO OPTIMO

PATRONO

OMNI, QVA PAR EST, PIETATE COLENDO;

NEC NON

VIRO

ILLVSTRI ET EXPERIENTISSIMO

AVGVSTO GOTTLIEB RICHTER. D.

MEDICINAE AC CHIRVRGIAE PROFESSORI GOETTINGENSI PVBL. ORDINARIO, PRAESIDI COLLEGII CHIRVRGICI, ACADEMIARVM SCIENTIARVM R. R. GOETTING. ET SVECIC. VTI ET SOCIETATIS HAFNIENSIS MED. MEMBRO,

PRAECEPTORI SVO MERITISSIMO,

DISSERTATIONEM HANC

IN GRATI ANIMI TESSERAM DEVOTISSIMA MENTE.

D. D. D.

AVCTOR.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

FREQVENTI CATARRHORVM

EX PRIMIS VIIS ORIGINE.

PROOEMIVM.

Frequens morbus eſt, et vti quidam cenſebunt, notiſſimus, de quo in hoc ſcripto academico agere mecum conſtitui; et pluribus inde centies dicta, iterum dicere, trita et vulgaria proferre videbor. Cum autem male quosdam raris et inauditis tantum delectari, et quotidiana ſpernere, perſuaſus ſim, cum plura quotidie occurrere, quae ignorantur, experientia doceat, cum maximae ſemper illa vtilitatis eſſe, quae ſunt quotidiani vſus, in aprico ſit, cumque exponenda quaedam de catarrhis habeam, quae, haud quidem ignota ſunt, ſaepe tamen non animaduertuntur: ſperaui fore, vt opuſculum hoc iuuenile quibusdam ſaltem haud diſpliceat. Frequens quidem morbus catarrhus eſt, (vix enim eſt inter mortales, qui hoc morbo non ſemel laborauerit): illum autem tam leuem eſſe, et omni periculo adeo carere, ac vulgo putatur, credere vetat frequens ſatis illa difficultas curationis et diuturni-

tas et Cel. TISSOTI illud memoratu dignissimum effatum, *plures hominum Catarrhis necari, quam peste* *). Certe periculo illum non penitus carere, etiamsi leuis sit catarrhus et febre careat, subinde autem vehementi febre et grauissimis stipatum esse symptomatibus catarrhum cuilibet quotidie obuium est. Huius autem periculi, quod a catarrhis pendet, causa non raro quoque in neglectu illorum, vel penitus peruersa curatione, quaerenda est. Plures sane, qui calidioribus remediis, diaphoreticis, serum stagnans, acre, pulmonibus infestum per cutem dispellendum esse tentant, febrem accendunt, inflammationem excitant, morbum, qui leuis erat, grauem reddunt, periculum, quod aberat, accersunt. Alii, qui quicquid congestum et accumulatum est spissi, acrioris, stagnantis seri, aquosis tepidis diluendum, spissiusculis, oleosis obuoluendum, resoluentibus expectorandum esse, putant, morbum saepe diu rebellem his remediis resistentem inueniunt, ipsis suis remediis pulmones debilitant, relaxant, nouumque perpetuo seri mucique ad illos decubitum alliciunt, scopoque saepissime excidunt, non raro tarde potiuntur.

Catarrhos non raro cum acrimonia et impuritate primarum viarum coniunctos esse, neque tunc, nisi his purgatis sanari posse; minime exinde purgantium vsum metuendum esse, quod vulgus metuat, ne catarrhus ad pulmones decumbat; catarrhos subinde solis

*) Anleitung für den geringen Mann in Absicht auf seine Gesundheit. Hamb. 1767. Cap. 7. §. 123. p. 134.

ſolis purgantibus ſanari; non raro ideo rebelles eſſe, quod in illorum curatione primarum viarum ratio non omnino habeatur; verbo catarrhi cauſam ſubinde acrimoniam in primis viis latitantem eſſe, monendum in hac Diſſertatione probandumque imprimis mihi ſumſi. Atque haec quidem, quae proponam, niſi mea aliorum tamen auctorum experientia, penes quos fides et auctoritas eſt, adeo corroborare ſtudebo, vt pateat inde, non ſemper ad ſanandos catarrhos ſufficere ſuccum Liquiritiae, Sperma Ceti, Oxymel, caeteraque illa remedia, a practicorum medicorum plebe adeo amata.

Ceterum iuuenilem hunc eſſe laborem, illi recordentur oro, qui forſan hinc inde reperient, quae non ſatis explicata atque accommodate dicta videntur.



§. I.

Vt rite et secundum consuetudinem agam, breuem morbi, de quo loquor, historiam praemittam. Catarrhum, qui leuis est, febre saepe penitus carere, grauiorem vero febrem insignem non raro comitem habere notum est. Leuior catarrhus sequenti plerumque modo decurrit. Aeger frigoris impatiens, lassitudine, grauitate corporis, appetitus defectu, dolore capitis obtuso, oculis lacrymantibus, vultu rubicundo, pectoris quoque subinde dolore, plerumque autem angustia afficitur. Accedit tandem titillatio ad tussim sollicitans, narium pruritus, frequens sternutatio, vocisque raucitas. Pulsus citatior est, aeger subinde incalescit, subinde inhorrescit. Aucta plerumque vrinae secretio est. Nares tandem serosa multa stillant, tussis pauca viscida non sine difficultate et dolore expellit. Vesperi et sub noctem haec plerumque minus affligunt, mane, dum expergiscitur aeger, sternutationes frequentiores, tussim molestiorem, raucedinemque auctam habet. Postquam haec per aliquot dies ita se habuerunt, raucedo sensim minuitur, vox clara redit, stillicidium narium spissius blandiusque euadit, tussis sputa spissiuscula copiosa expellit, et aeger sensim ad sanitatem redit.

§. II.

Grauis autem ſubinde morbus catarrhus eſt, vehementi febre, tuſſi violenta, pectoris oppreſſione, anguſtia, dolore, pulſu duro, forti, celeri, calore inſigni ſtipatus, vbi morbus vere inflammatorius eſt, facile in veram peripneumoniam tranſit, remediaque antiphlogiſtica efficacia requirit, hisque ſolis ſanatur. Vocant tunc morbum, *febrem catarrhalem* et cum mere inflammatoria ſit, *benignam;* attamen id, quod aliis inflammatoriis accidit morbis, huic febri catarrhali inflammatoriae etiam interdum accidit. Fit nempe aliquando, vt cum biliosa colluuie in praecordiis collecta, vel etiam cum putrida ſanguinis diatheſi coniuncta ſit; vbi ob inſueta, quae his febribus vtplurimum familiaria ſunt ſymptomata, rebellemque illius contra vulgarem medendi methodum naturam, *febris catarrhalis maligna,* et me quidem iudice male vocatur, cum nomen potius *febris catarrhalis bilioſae* vel *putridae*, morbi indolem medelaeque, quam poſcit, genus indicet.

Atque haec quidem adeo cognita ſatis ſunt, vt fuſius illa tractare ſuperfluum ſit. Minus vero notum, et a paucis obſeruatum eſſe puto, illos quoque catarrhos, qui febre penitus carent, ſaltem febrem leuem comitem habent, ſaepiſſime cum colluuie bilioſa haud tranſitoria, ſed conſtanti et adeo inſigni coniunctos eſſe, vt haec colluuies primaria et ſola catarrhi cauſa eſſe videatur, eodem penitus modo, vti illa ſubinde eſt peripneumoniae illius bilioſae dictae; et dari itaque catarrhos, in quibus omnia illa remedia anticatarrhalia nil valent, imo nocent, quos ſola purgantia ſanant, eodem penitus modo, vti venaeſectio et remedia antiphlogiſtica facile nocent in peripneumonia bilioſa, ſola fere purgantia et vomitoria iuuant.

Atque hoc quidem eſt argumentum illud, quod tractandum vberius in hac Diſſertatione mihi ſumſi; atque eo lubentius quidem, quo magis

ego ipſe ſubinde obſeruaui, difficilem quam maxime ſaepe eſſe catarrhorum ſanationem ob neglectam primarum viarum curam; frequenter eſſe catarrhos ex primis viis oriundos, plurimumque horrere multos purgantium in ſanandis catharrhis vſum, inani metu captos, ne ad pulmones detrahatur morbus. Addo nocere in quocunque morbo, qui ex primarum viarum colluuie oritur, venaeſectionem, oleoſa aliaque eiusdem generis remedia, quorum vſus in catarrhis ſanandis frequentiſſimus eſt.

§. III.

Ex ſymptomatibus catarrhos comitantibus apparet, varias morbum in decurſu ſubire mutationes, varia tranſire ſtadia. Febricula, raucedo, ſtillicidium acre, tenue ex naribus, tuſſis ſicca moleſta initio plerumque morbi adeſt, imminuitur ſenſim tandemque penitus euaneſcit, quicquid adeſt moleſtiae, dum ſtillicidium e naribus euadit ſpiſſiuſculum, blandum, tuſſis humida, ſputa craſſa copioſe expellens. Duplex itaque morbum imprimis percurrere ſtadium vulgo Medici contendunt, ſtadium ſcilicet ſiccitatis ſiue cruditatis, ſtadiumque humiditatis ſeu coctionis. Nempe acrem et ſeroſam materiam, haud ſane, vti veteres putarunt, e capite ad pulmones, ſed ex corpore profluere, atque ad membranam illam pituitoſam, quae nares, fauces, arteriam aſperam bronchiaque obtegit, deſidere, ibidem ſtagnare, et acrimonia ſua tuſſim ſternutationemque frequentem ciere, id eſt catarrhum parere, ſenſim autem hanc acrem materiam a natura ope ſubinde leuioris febriculae ſubigi, coqui, tandemque expelli, vulgo nec immeriti medici ſtatuunt. Nullum itaque catarrhum ſine ſputis et copioſo ſpiſſiuſculo ex naribus defluxu ſanari poſſe; primarium itaque medici ſcopum in ſanandis catarrhis eſſe debere, vim illam naturae concoctricem ſuſtentandi, ſputa promouendi, materiam irritantem expellendi, omnes fere vno ore adfirmant. Neque vtplurimum, qui haec aſſerunt, errare,

ego

ego quidem arbitror; interdum autem aliam paululum esse huius morbi indolem, sanari illum quodammodo sine excretione per nares vel pulmones aucta, non semper in cura huius morbi eo respiciendum esse, vt sputa promoueantur, infestaque materia e naribus vel pulmone eiiciatur. Non raro enim obseruabis illos imprimis catarrhos, qui, quod inferius fusius probabo, ex colluuie impura primarum viarum oriuntur, purgatis primis viis subito saepe penitus euanescere, quamuis nulla sputa, nec aliae excretiones criticae appareant. Atque haec quidem ita imprimis contingunt, si tempestiue et statim sub initio morbi, quicquid latet, in praecordiis corruptae acrimoniae expellitur. Vnde quidem constat, praeterire morbum subinde alterum illud stadium, neque ad curandum morbum excretionem per nares vel pulmones tunc saltem requiri, quando ex primis viis oritur.

§. IV.

Quodsi non facile explicari posse quidam obiiciant ortum catarrhi ex primis viis, illiusque sanationem sine materiae nocuae excretione, ego quidem, plura occurrere, quae explicari nequeunt, plures alios difficulter explicandos ex primis viis oriri morbos, respondeo. Interim tamen parum abest, quin credam, acrimoniam illam in primis viis haerentem membranam narium, faucium et bronchiorum, adeo afficere per consensum, vti dicere soleat, vt orificia illa vasorum, quae mucum halitumque tenuem perpetuo emittunt, spasmo claudantur, vnde siccitas, irritatio ad tussim et sternutationem et raucedo. Purgatis primis viis spasmum euanescere, orificia aperiri, secretionemque huius membranae redire, et, quicquid mali adfuit, disparere subito videtur. Spasticus itaque morbus est, neque hic est, in pulmone vel naribus, quod euacuari debet, nociui et acrimoniae aliquid. Fieri tamen forsan potest, vt orificiis diu spasmo clausis, accumulentur in vasis occlusis humores, qui spasmo soluto per

sputa

ſputa euacuantur. Inde ſi tempeſtiue purgantur praecordia, raro, ſi vero differtur illorum purgatio, plerumque ſputa quaedam morbo ſublato apparent.

§. V.

Mitto tamen haec ratiocinia et ad experientiam ſolam confugio. Atque hanc quidem, catarrhos ex primis viis oriri et purgantibus aliquando ſanari, confirmare contendo. Nauſeam, ardorem in praecordiis, ventrisque tormina catarrhos ſaepe comitari, ſalutaremque non raro haec ſymptomata alui fluxum ſequi cel. iam HOFFMANNVS *a)* notauit; et exper. HESSLER *b)* ſi praeter communia, ait, ſymptomata catarrhorum, anorexia, ſapor in ore amarus, lingua ſordida, nauſea, ad vomitum pronitas, praecordiorum ardor, ventris tormina adſunt, bilis in primis viis redundans arguenda eſt, et euacuari debet. Cl. quoque ARAND *c)* contendit, in febre illa catarrhali maligna epidemica, quam obſeruauit et deſcripſit, cauſam morbi in impuritatibus primarum viarum quaerendam fuiſſe. Raro catarrhos cl. RAHN *d)* affirmat, niſi mitiſſimi ſint, occurrere, quin ſimul ſordium primarum viarum ſigna varia adſint, ſiue quod catarrhalis ſtaſis in glandulis ventriculi adſit, ſiue, quod per frequentem tuſſim maior bilis copia in inteſtina exprimatur, ſiue, quod ob ſuppreſſam tranſpirationem, quae frequentiſſima catarrhi cauſa eſt, maior humorum co-

a) HOFFMANN Oper. omn. T. II. S. I. C. VI. Theſ. pathol. §. III.

b) IOS. VLDAR. HESSLER diſſ. de bile cuiuscunque fere generis atque ſpeciei febris cauſa materiali poſſibili. Erford. 1775. p. 23. et 24. §. XXIV.

c) Abhandl. von 3 Krankheiten unter dem Volke. Gött. 1773. T. I. Cap. 3. p. 21 et 22.

d) RAHN diſſ. mirum caput inter et viſcera abdominis conſenſum. Goett. p. 42 et 43. §. XIX.

copia ad primas vias confluit. Nec minus consentit Ill. SCHROEDER e) qui quotidiana experientia probari asserit, febres catarrhos concomitantes plerumque non inflammatoriae solum, sed biliosae simul indolis esse. Egregie quoque sententiam meam confirmat Ill. HOFFMANNI f) effatum, qui febrem catarrhalem saepe in principio crebris alui deiectionibus solui narrat; et experient. ABT g) virginem narrat catarrhali morbo laborantem vsu ipecacuanhae et rhabarbari egregie restitutam, affirmatque morbum hunc initio, vbi frigus, dolor dorsi, nausea ac temulentia vrgent, perquam saepe vnico ipecacuanhae scrupulo et sulphuris antimonii aurati granulo, subiuncto leni purgante, solui.

§. VI.

Ingens esse perspirationis cutaneae beneficium, per hoc excretionis genus quicquid in sanguine generatur particularum acerrimarum, subtilissimarum et ad putredinem maxime pronarum, eliminari, hac via sanguinem imprimis omni momento depurari, huius auxilio imprimis corruptionem et putredinem coërceri, quis est, qui nesciat? transpiratione autem suppressa vel languente, putridum fomitem, qui quotidie in sanguine generatur, remanere, a cute ad intestina ruere, quis est, qui dubitet? Certe quotidiana fere docet experientia, morbos a transpiratione cohibita oriundos, vtplurimum primas vias imprimis afficere, corruptelam, quae per cutem eliminari impeditur, ad praecordia delabi, morbos, qui a transpiratione suppressa oriuntur, biliosos et putridos vtplurimum potius esse,

e) SCHRÖDER diss. Resp. MAY de amplitudine generis febrium biliosarum. Goett. §. XII.

f) l. c. T. II. S. I. C. VI. p. 45. §. XVIII.

g) ABT diss. de Febre catarrhali epidemica maligna. Giessae, 1773. p. 7. §. II et p. 16. §. XVIII.

esse, quam inflammatorios: atque tunc quidem imprimis, quando autumnali tempore contingunt. Nota sane res est, plerumque morbos autumnales ex transpiratione imminuta oriri et biliosae esse indolis. Nec mirum; sub aestatis enim feruore spissatur sanguis, exaltatur bilis, neque tam noxius inde percipitur effectus, quamdiu aëris tepore adiuta libera transpiratio depurat quotidie sanguinem, noxiosque huius corruptelae effectus minuit, et coërcet. Autumnali autem et hyemali frigore orto, imminuitur secretio per cutem, et remanet quicquid per aestatem putridi et noxii in corpore ortum et collectum est; iam vel in sanguine fermentationem putridam excitans, putridos morbos, vel ad intestina ruens, biliosos creat.

Iam vero notum cuilibet fere est, catarrhos ex transpiratione suppressa imprimis oriri et autumnali tempore praecipue frequentes esse. Frequentissime catarrhos autumnales Celeb. ille Anglus HUXHAM *h*) obseruauit et Cel. HUBER *i*) autumnum anni MDCCXLV. pluuiosum catarrhis valde opportunum fuisse narrat. Ex sociis igitur morbis abdita illius catarrhi natura noscitur, qui autumno obseruatur.

§. VII.

Ipse ego bis egregia occasione, quam mihi suppeditauit Ill. RICHTERUS, Praeceptor maxime colendus, vsus sum ortum catarrhi ex primis viis obseruandi. Aeger per biduum appetitus defectu, somno turbulento, lingua impura, corporis grauitate, affectus, febre autem carens; tertio die erysipelate faciei valde dolorifico et molesto corripitur; quarto die sponte euanescente erysipelate, coryza molesta, sternutationes frequentissimae, oculorum lacrymatio, stillicidium acre et copiosissimum, verbo

ca-

h) HUXHAMI Opera Omnia T. I. p. 74. 75. 109. 141. 144. 145. 152. 403. multisque aliis locis.

i) HUBER prgr. Obseruat. circa morbos epidemicos: etc. Cassell. 1755. p 26.

catarrhus vehementissimus, aderant; sponte iterum subitoque euanuit nocte catarrhus ille, quintoque die aeger tussi conuulsiua sicca vehementi concutitur, et hoc quiescente, die sexto doloribus dentium summis excruciatur, tandemque die septimo dolore capitis insigni. Per totum singularis huius morbi decursum aderant colici dolores leuiores, sapor molestus, defectus appetitus; totusque tandem morbus salis mirabilis repetito vsu fugabatur. Ecce varios affectus ex primarum viarum sordibus luculenter oriundos, inter quos erat catarrhus vehementissimus. Neque minus memoratu dignus est alter casus feminae, quae diro dentium dolore, stillicidio ex naribus copiosissimo cum sternutatione frequentissima, tussique sicca conuulsiua tam vehementer et mirum in modum torquebatur, vt dolore dentium euanescente, subito tussis oriretur, hac conquiescente, coryza accederet, naribus subito iterum siccescentibus dolor dentium vel tussis iterum appareret. Atque his quidem malis purgante solummodo medicina illa liberabatur.

§. VIII.

Neque plures alii desunt auctores, qui catarrhales affectus cum biliosis in primis viis sordibus coniunctos obseruarunt. Certe GALENVS harum sordium praesentiam agnoscit, quando asserit *k*), catarrhum ex ore in gulam et stomachum subinde fluere, multaque mala, vt nauseam, vomitum, diarrhoeam ac dysenteriam excitare. Eodem fere modo Cel. SCHNEIDERVS *l*) sentire, quamuis male interpretari videatur, cum dicit, symptomata catarrhi ad imum ventrem delapsi, esse dysenterias, diarrhoeas, lienterias, tenesmos etc. Catarrhi cum colluuie pituitosa prima-

k) GALENVS in Libro de sanitate tuenda.

l) SCHNEIDER de Catarrhis L. I. Cap. X. p. 141.

marum viarum Clar. SELLE *m*) imo febris verminosae cum catarrho coniunctae idem *n*) mentionem facit. Epidemiam catarrhalem manifeste biliosam exper. GRIMM *o*) describit. Si febrium illarum, quibus ob symptomatum vehementiam malignitatis nomen impositum est, descriptiones et historias attente perlegamus, patebit certe, totam illam sic dictam malignitatem biliosae colluuiei frequenter tribuendam esse, plurimisque harum febrium nomen biliosarum convenire. Experientia autem docet, saepe harum febrium initium variis catarrhalibus symptomatibus adeo stipatum esse, vt tum saepe catarrhum narium aut pulmonum mentiantur. Horrendi illius morbi phrenitidis *p*) et paraphrenitidis *q*) docente Ill. BRENDELIO prima symptomata sunt capitis grauitas, faucium et colli dolores, tussicula lacessens, narium stillicidium, sternutatio frequens, oculorum lacrymatio etc. Horum autem morborum sedem in praecordiis, et medelam a vomitoriis imprimis expectandam esse, negari nequit. Quin plurimae febres epidemicae sub specie catarrhi primum aegros inuadunt. Ita Celeb. BAVMER *r*) morbi maligni, quem describit initium catarrhum fuisse perhibet, et febris epidemicae, quam Cel. OETTINGER *s*) describit, prima symptomata coryza, raucedo, tussisque erant. Plura auctorum testimonia colligere superfluum esse puto. Ex his vero abunde intelli-

gi-

m) SELLE Rudimenta Pyretologiae methodicae. p. 240.

n) IDEM l. c. p. 252.

o) GRIMM von der Epidemie zu Eisenach. p. 119.

p) BRENDEL diss. de phrenitide. p. 8.

q) EIVSDEM diss. de cognatione paraphrenitidis et febrium malignarum p. 8. 9. 15.

r) BAVMER progr. Obseruatt. nonnull. de febre catharrhali epidemica maligna. p. 4. et 5.

s) OETTINGER progr. de febribus ab initio fere mensis Decembris 1771. per annum 1772. huc vsque Erfordiae, inque eius confiniis epidemice grassantibus. Erf. 1772.

gitur, quanta ſit acrimoniae in praecordiis latentis vis in membranam pituitariam, narium fauciumque, et quam frequens ſit ortus catarrhalium ſymptomatum ex praecordiis primisque viis.

§. IX.

Hancce frequentem eorundem originem probat etiam experientia maximorum in arte ſalutari virorum, vt qui purgantium vomitoriorumque remediorum in ſanandis catarrhis vſum ſaluberrimum cognouerunt. Fas enim eſt credere, morbum, qui ſolis vomitoriis et purgantibus ſanatur, ex primis viis oriri; niſi alia forſan accedat ratio. Falli certe illos arbitror, qui deriuari deorſum horum remediorum vſu humores, ſtaſinque et inflammationem ſeroſam in membrana pituitaria imminui putant. Haud enim deriuant humores deorſum vomitoria; neque eſt cur a lenioribus purgantibus, qualia hic inprimis conducunt, vim ineſſe opineris impetum humorum ſeroſorum ad nares faucesque confluentium magnopere infringendi. Saepe obſeruatum eſt, morbos catarrhales orta diarrhoea vel vomitu ſpontaneo leniri, imo ſolui. Ita magnus HIPPOCRATES *t*) alba, ait, pituita vexato, ſi vehemens alui profluuium ſuccedat morbus ſoluitur; nec minus Cel. HVXHAM *u*) vidit, febrem catarrhalem cum magna pectoris oppreſſione, tuſſi humida permoleſta breui euanuiſſe orta aluo liquida, torminoſa. Nec minus egregie Cel. BAVMER *x*) narrat, quibusdam aegris catarrhali morbo affectis ſub initium ſtatim vomitum, aliis et quidem plurimis poſt aliquot dies diarrhoeam ſpontaneam putridam materiam, teterrimumque odorem ſpargentem optimo cum euentu accidiſſe, nunquam ſine damno interruptam eſſe. Egregius ille vir et obſeruator ſummus

t) HIPPOCRATIS Aphoriſmorum Sect. VII. 29. ed. FOESII p. 1259.

v) HVXHAM. l. c. T. I. p. 370.

x) BAVMER progr. cit. pag. 6.

mus Celeb. PRINGLE y) vomitoriis et purgantibus catarrhalem febrem minui, imo tolli perhibet, et Cel. STRACK z) catarrhum epidemice graſſantem deſcribit, omnibus ſuetis remediis reſiſtentem, ſolis lenioribus purgantibus, et imprimis quidem mannatis cedentem. In catarrho illo Londinenſi, quem Celeb. WATSON a) obſeruauit, manifeſte nocuit venaeſectio, ſanguis miſſus bilioſus apparuit, emetica profuerunt. De eodem illo catarrho Cel. BAKER b) perhibet, purgantia eximium attuliſſe leuamen, et acrem illam bilem, cuius maiorem copiam frequens tuſſis et vomendi conatus indicabant, eiicere viſa eſſe. En varia teſtimonia, quae remediorum, quibus primae viae purgantur, in ſanandis affectionibus catarrhalibus, vſum praeclarum demonſtrant.

§. X.

Inde quoque frequentem catarrhalium affectuum ex praecordiis originem eluceſcere iudico, quod varii alii morbi membranae faucium et narium, catarrhalibus affectionibus ſimillimi ex primis viis frequenter oriantur. Imprimis hic nominanda tuſſis eſt, cuius cauſa frequentiſſime, et ſane frequentius in ventriculo et inteſtinis haeret, quam in ipſis pulmonibus. Quis enim negat purgantibus et vomitoriis vehementiſſimas non raro humidas aeque ac ſiccas tuſſes debellandas eſſe. Inde illos imprimis tuſſi frequen-

y) PRINGLE Beobachtungen über die Kranckheiten einer Armee. P. III. Cap. 4. p. 238.

z) CAR. STRACKII obſeruatt. de conſtitutione epidemica a fine autumni 1754. in ver vſque 1755. vid. in Act. Acad. Elect. Mogunt. T. I. 1757, p. 309. ſqq.

a) Excerptum Epiſtolae Cl. W. WATSONI ad Cl. IOH. HVXHAM, continens animaduerſiones de Catarrho, qui graſſatus eſt Londini etc. Menſe Maio 1762. Cf. Philoſoph. Transactions. Vol. LII. P. II. p. 646. ſqq.

b) BAKER de Catarrho et Dyſenteria Londin. epidem. vtriſque 1762. in Cel. SANDIFORT Theſauro Differt. medicarum. Vol. II. p. 371.

quenter exerceri obſeruamus, quorum infirmus eſt ventriculus, male digerit et coquit, cruditatemque facile admittit, inde infantes imprimis tuſſi facile corripiuntur, quorum in ventriculo diaeta lactea facile acidum irritans generat; inde voraces illi et potatores perpetuo fere tuſſi laborant.

Ipſius vehementiſſimae illius tuſſis, quae *conuulſiua* vocatur, cauſſam in ventriculo imprimis latere probant vomitus illi ſpontanei, paroxyſmum illum conuulſiuum ſubſequentes ſoluentesque, egregiusque vomitoriorum et purgantium in ſananda hac tuſſi vſus. Diarrhoeas ſponte ſubortas pertinaciſſimas tuſſes ſuſtuliſſe ſaepiſſime obſeruatum eſt. Cel. HVXHAM, vt unum ſaltem nominem, qui id obſeruauit, tuſſes oborta diarrhoea ſaepiſſime profligatas eſſe, ſeque inde etiam leniora ex Rhabarbaro, Manna, Tartaro ſolubili exhibita purgantia, ſemper ſaluberrima reperiſſe, narrat *c*). Ipſe ego in Collegio Clinico, quod ductu Ill. Prof. BALDINGERI, Praeceptoris maxime colendi, ſummo cum emolumento frequentaui, ſaluberrimum in ſananda tuſſi purgantium et vomitoriorum vſum ſaepiſſime vidi et miratus ſum.

Quodſi ergo tuſſis faucium ſane et laryngis frequentiſſimus morbus ex primis viis oriatur, purgantibusque ſanetur, cur mireris, catarrhum, eiusdem ſedis morbum, ex primis viis ſubinde oriri et purgantibus ſanari.

§. XI.

Similis priori morbus Angina eſt, itidem faucium affectus, catarrho itaque cognatus. Atque haec quidem, et imprimis illa eius ſpecies, quae *ſeroſa* vocatur et vere ſymptoma catarrhale eſt, ex primis viis frequenter oritur. Diuerſa quidem huius morbi indoles eſt; modo enim mere inflammatoria eſt; modo autem cum ſignis ſaburrae impurae primarum viarum, lingua imprimis ſordida, moleſtoque oris ſapore etc. manifeſte ſtipata; vnde

c) HVXHAM l. c. T. I. p. 105.

vnde vere ſubinde *bilioſa* appellari poteſt. Meretur ſane hoc nomen angina illa, quam Cel. SAVVAGES *d*) Cynanche ſynochialis vocatur. Pertinet huc quoque Angina bilioſa FORESTI *e*) et febris anginoſa HVXHAMI *f*) cum vomitu et diarrhoea coniuncta. PISO quoque g) Anginae bilioſae mentionem facit; et exemplum, quod anginam ex ventriculo oriri probat, memorabile apud FRID. HOFFMANNVM *h*) legitur. Notiſſimam illam anginam malignam, gangraenoſam vlceroſam cauſam ſuam malignam in praecordiis habere perſuaſiſſimus ſum. Anginoſos affectus ex ventriculo et inteſtinis ſubinde oriri, inde quoque patet, quod ſummi medici purgantium et vomitoriorum vſum ſummopere in curatione huius morbi commendarunt. Repetitas contra anginam purgationes ſummus BOERHAAVIVS *i*) extollit. Quodſi vero colluuies iſta ſurſum turgeat, puto et ſine metu exaſperati faucium mali vomitoria exhiberi poſſe, et deberi, HVXHAMI *k*) probat auctoritas, qui vomitorium lene non ſolum non augere faucium dolores, ſed generatim inſigniter minuere aſſerit; et Cel. TISSOT *l*) venaeſectione omiſſa vnicum remedium vomitorium eſſe in illa angina, de qua hic ſermo eſt. Cel. quoque QVARIN *m*) deſcripſit anginam, in qua nocuit venaeſectio, profuerunt emetica. Nec minus notatu

d) DE SAVVAGES Noſologia Method, T. II. P. I. Cl. III. p. 485

e) FORESTI Opera Lib. XV. Obſeru. 17.

f) HVXHAM l. c. T. I. p. 114. et 115.

g) PISO de cognoſc. et curand. morbis p. 163. lin. 40.

h) FR. HOFFMANN l. c. T. II. S. II. C. IV. p. 129, obſeru. I.

i) van SWIETEN Comment. ad Boerhaauii Aphor. T. II. p. 672: §, 809.

k) HVXHAM l. c. T. III. p. 112.

l) TISSOT Anleitung etc. p. 131.

m) QVARIN Methodus medendarum inflammationum. p. 53-62.

tatu dignum est in angina illa gangraenosa Cl. DVPVY DE LA PORCHERIE *n*) et Cel. DE SAVVAGES *o*) nil vtilius, quam vomitorium ex Tartaro stibiato obseruasse.

Addo his Ill. Prof. RICHTERI, Fautoris ac Praeceptoris praeprimis venerandi, testimonium, qui saepissime anginam, imprimis illam serosam cum sordibus primarum viarum stipatam esse, suetis remediis lente et difficulter, purgantibus et vomitoriis cito et tuto sanari, subinde vix hora post vomitionem elapsa euanescere quasi, affirmauit. Igitur cum morbus ille faucium, angina, vere subinde catarrhalis affectus, manifeste nonnunquam ex primis viis oriatur, purgantibusque et vomitoriis sanetur, quidni catarrhus quoque ipse, cuius symptoma angina serosa illa aliquando est, ex eodem fonte iisdemque remediis ausculturet.

§. XII.

Quanta sit vis acrimoniae in primis viis latitantis varios per consensum excitandi narium morbos, verminosi quoque affectus declarant. Notissimus unicuique narium ille pruritus est, qui aegrotis vermibus infestatis adeo molestus, imo intolerabilis, saepe est, vt narium exulcerationi occasionem praebeat. Mirandum sane est, quod non solum lumbrici in ventriculo vel superiori tubi intestinalis parte haerentes, sed et in remotissima a naribus intestinorum parte vtplurimum habitantes ascarides hunc molestum in naribus sensum excitent. Pueros verminosos narium muco abundare, imo adultos ascaridibus laborantes non raro copiosum et molestissimum tempore vespertino recurrentem serosum narium fluxum pati, nullis reme-

n) Hist. Anginae gangraenosae epidemicae, quae grassata est Charone, tempore aestiuo anni 1762. a Cl. DVPVY DE LA PORCHERIE in Journ. de Medic. p. Mr, ROVX. T. XVIII. Mense Iunio. p. 496. sqq.

o) DE SAVVAGES l. c. T. II. P. I. p. 486.

remediis, nisi anthelminticis cedentem Cl. VAN PHELSVM *p*) obseruauit: et Cl. VAN DEN BOSCH *q*) in constitutione epidemica saepissime vidit febres catarrhales a vermibus intestinalibus augmentum capere, et pertinaciores reddi, ita vt caput et pectus non nisi post copiosas putridas et ramentosas deiectiones liberarentur.

§. XIII.

Argumentum pro confirmanda mea sententia de frequenti Catarrhorum ex primis viis origine, varii quoque morbi praebent, cum screatu et sputis coniuncti; imprimis peripneumonia et phthisis pulmonalis. Sputa in his morbis pulmonem a molesta et noxia materia liberare, neque sine oppressione pectoris omniumque, quae adsunt, malorum incremento minui aut supprimi, cuilibet notum est. Magna itaque haec sputa conseruandi, atque vbi minuuntur, restituendi in his morbis, necessitas est. Quodsi vero minuantur aut supprimantur: materiae eiiciendae spissitudinem plerique imprimis arguunt, et diluendum resoluendumque hic esse, quicquid spissae, tenaciorisque materiae pulmones opplet, putantes, varia aquosa, incidentia, emollientia medicamenta exhibent. Haec vero medicamenta, an semper praestent, quod ab illis expectatur, iam quidem non inquiram: id vero persuasissimum habeo, purgantia his in casibus non raro omnibus aliis remediis palmam praeripere. Saepissime Ill. RICHTER, Praeceptor ad cineres vsque deuenerandus, cuius ex ore et consuetudine optima hausi dogmata practica, rarissimasque saepe historias morborum, saepissime dico mihi narrauit, egoque ipse vidi, sputa phthisicorum imminuta vel suppressa, medicina purgante ex sale sedlicensi et manna intra paucas horas non raro restitui. Tantum abest, vt haec remedia sputa semper sistant

p) VAN PHELSVM Historia Ascaridum pathol. p. 200.

q) VAN DEN BOSCH Historia constitutionis epidemicae verminosae. p. 243.

ſiſtant, vt potius ſubinde augeant, et reſtituant. Quis neſcit in caſu, vbi ſummum a cohibita expectoratione vrget periculum, vltimum remedium eſſe vomitorium?

Dubitari itaque vix poteſt, non raro in his morbis ſaburram acrem in primis viis collectam per conſenſum pulmones afficere, ſpaſmo excitato quasdam vias, ex quibus ſputa eiiciuntur, conſtringere, et hoc itaque modo ſputa ſupprimere. Magni itaque momenti eſt, in his caſibus ad primas vias reſpicere, et ſi quid impuri fomitis in illis detegatur, illas purgare.

§. XIV.

Abſonum itaque non erit, contendere, catarrhorum cauſam ſubinde in primarum viarum vitiis quaerendam, haecque ipſa purgantibus exturbanda. Cum enim ſimiles catarrhis morbi ſaepiſſime ex primis oriantur viis, cum catarrhi, febre acuta ſtipati, bilioſae ſubinde manifeſte indolis ſint, quid quaeſo vetat credere, eiusdem etiam non raro indolis eſſe catarrhos, qui febre carent. Iamque fas eſſe puto, ipſa mea, aliorumque experientia probare, vere ſubinde tales catarrhos non febriles ex primis viis oriundos occurrere. Autumno, quod ex obſeruatione Ill. Prof. RICHTERI, quem mox laudaui, habeo, anni 1775. frequentiſſimi erant catarrhales affectus, raucedo imprimis et tuſſis humida, rebelles contra ſueta ſic dicta remedia anticatarrhalia. Erant inter aegrotos, quibus manifeſto colluuies circa praecordia haerebat, erant tamen etiam, in quibus occulta magis latebat. Qui debili ventriculo laborabant, vitamque ſedentariam degebant obnoxii huic morbo imprimis eſſe videbantur. Quibus manifeſtae erant ſordes, et cito auxilium ferebatur, vno fere die, vnaque doſi remedii purgantis penitus a morbo liberabantur. Inter medicamenta purgantia vero Manna cum ſale ſedlicenſi imprimis prodeſſe videbatur. Qui curam morbi differebant aut negligebant repetitis purgantibus opus habebant,

neque haec medicamina statim morbum tollebant, sed primo exhibita tussim siccam tantum humidam reddebant. Binos aegros vidit Ill. RICHTER, quem nunquam sine reuerentia nomino, quibus sub mala eiusmodi catarrhi curatione vehementissimum in genu erysipelas oriebatur, quo orto statim euanuit catarrhus. Fuerunt quoque, insigni ventriculi debilitate affecti, qui catarrhi frequentissimis recidiuis non nisi vsu remediorum stomachicorum liberabantur. Fuerunt eiusmodi aegroti, qui, mane sanissimi, quouis die post prandium recidiuam catarrhi passi sunt; neque hi, nisi roborantibus remediis restituebantur. Ipse quoque ego in collegio clinico, (quod sub cura Ill. Prof. BALDINGERI, Praeceptoris ac Fautoris optimi, cuius ductu ac fauore tot tantasque in Collegio iam dicto obseruationes facere mihi licuit,) optimum purgantium effectum his in morbis expertus sum, saepe binis purgationibus totam curationis paginam absolui, morbum pectoralibus illis remediis pertinacissime resistere, purgantibus cito cedere et sine expectoratione seu coctione materiae morbi finiri, vidi. Egregie itaque notatum esse, arbitror, ab exper. RAHN r) grauedines et coryzas, per consensum aliquando ex primis viis oriri; qui idem alio loco, s) artem multum conferre posse, indicat, vt citius catarrhi ad coctionem et finem perducantur, si remoueat sordes ex primis viis, et naturam sequatur; quae saepissime vomitu bilioso, vel diarrhoea aegros liberat.

§. XV.

In curatione catarrhi sedulo ad primas vias respiciendum esse, ideo imprimis monendum probandumque putaui, partim, quia horrent plerique in his morbis purgantium vsum, metuentes, ne haec medicamenta morbum e naribus ad pulmones detrahant, vel expectorationem turbent; partim, quia nil hic agendum esse, putant multi, quam vt serosi humores

r) RAHN diss. cit. p. 42. §. XIX.
s) IDEM l. c. p. 43. §. XIX.

res ad pulmones congesti, per diaphoresin dispellantur, vel per sputa eiiciantur; cum tamen nociua valde vis sit diaphoreticorum in morbis, qui ex saburra primarum viarum oriuntur. Quin tantum abest, vt semper de expectoratione mouenda cogitandum hic sit, vt potius non pauci catarrhi sine sputis sanentur, eaque ipsa medicamenta, quae humores pituitosos perpetuo ad pulmones compellunt, et sputa augent, protrahuntque, adeo non raro pulmonem debilitent relaxentque, adeo vt metus phthiseos aliquando incidat.

Ceterum non omnino contendo, omnes catarrhos huius indolis esse, certe enim sunt, quos frustra purgantibus oppugnes. Certissime vero etiam obseruabis, aliquando cum signis sordium in primis viis coniunctos catarrhos esse; et persuasissimum mihi est, illorum, qui frequentibus catarrhalibus affectionibus obnoxii sunt, ventriculum debilem potius, quam pulmonem subinde arguendum esse. Ceterum haec omnia, quae dixi, non mirabitur, qui non ignorat, quanta ex primis viis mala in omnes fere corporis partes proficiscantur. Vis illa noxia saburrae primarum viarum in partem corporis debiliorem plerumque imprimis ruit, ophthalmias e. gr. creat illis, qui debili oculo, tusses et catarrhos, qui debili pulmone laborant etc. Constitutionis epidemicae ratio tamen etiam non raro habenda est: bene enim Celeb. HVBER *t)* monet, acrem saepe diathesi peccare huic vel illi corporis parti inimica.

Atque haec fere sunt, quae exponenda habui. Bene scio, me, quem vberior huc vsque experientia, tempusque defecit, hanc materiam non ita pertractasse, vt non multa possent addi, dicique solidius aptiusque. Aliorum igitur studio fusius explicanda, accuratiusque determinanda relinquo, quae paucis tantum praecipere mihi quidem vacauit.

t) HVBER progr. cit. p. 35.

THESES.

I.

Pessime consulunt aegris suis, qui in quouis Catarrho mox ad humectantia, dulcia, oleosa, mucilaginosa, aliaque, quae becchicorum nomine veniunt, confugiunt, quum contra ea primarum saepe viarum ratio potissimum habenda sit.

II.

Contagii venerei insitio non in vniuersum damnari potest.

III.

Perperam salubritati aëris vitaeque generi in pagis tribuitur, quod nascentes ibidem mortuos numero longe superent, cum fertilior contra ibidem, quam in vrbibus, morborum et mortis occasio suppetat.

IV.

Mala ex rabiosorum animalium morsu, magis a consensu neruorum, quam resorptione veneni repetenda.

V.

In rabie canina, quae venenum obuoluunt, reuellunt, et vlcus morsu natum alunt, reliquis omnibus praeferenda.

VI.

Fallunt falluntur que, qui in administratione corticis Peruviani in febribus putridis intermissiones remissionesque anxie nimis exspectant.

VII.

Si purgans et diaetam vegetabilem exceperis: omnis praeparatio infantis sani ad insitionem variolarum superflua imo noxia est.

VIII.

Non vero simile, clauum secalinum morbi spasmodici epidemici causam esse.

IX.

Gonorrhoea sine mercurio sanari potest.

X.

Sanguis inflammatorius est effectus, non causa febrium inflammatoriarum.

XI.

In recentibus amauroseos casibus ignis electrici insignis vis est.

XII.

Febre laborantibus non semper potus exhibendus est, quando sitiunt.

XIII.

Myopia saepius vitium consuetudinis, quam naturae.

XIV.

Circumcisio in phimosi dissectioni et incisioni praeputii praeferenda.

XV.

Elixir Vitrioli in phthisi vlcerosa magis nocet, quam prodest.

DO-

DOCTISSIMO CANDIDATO

MAVRITIO VLRICO WILLICHIO

S. D.

D. AVGVSTVS GOTTLIEB RICHTER.

Scio, Te me amare, Tuque non ignoras, Te a me amari. Ad augendas ingenii Tui et doctrinae dotes, quicquid expectare a me poteras, dum apud nos fuiſti, ſollicite arripuiſti; egoque lubenter obtuli. Vidi indefeſſam Tuam diligentiam, inſignesque ſtudiorum Tuorum progreſſus, et probe itaque Tibi eſſe excultum ingenium, iisque ſcientiis, quibus prodeſſe plurimis poſſis, inſtructum, ipſo hoc die, qui Tuo honori ſeruit, publice teſtor. Gaudeo Te iam ad metam veniſſe, praemiisque et honoribus Te iam decorari, quibus dignus es. Abi itaque, Doctiſſime Candidate, arma quibus inſtructus es, ipſo artis exercitio experire, bene de genere humano merere, et Goettingam, conſuetudinis, quae inter nos fuit, memor ſubinde reſpice. Goettingae die VI. Decembr. MDCCLXXVI.

WILLICHIO SVO

S. P. D.

IVSTVS CHRISTIANVS LODER,

RIGA-LIVON.

Quem diu exspectaui, laetum diem, initium praemiorum diligentiae TVAE, *tandem video; mox* TIBI *coma cingetur laurea doctorali, qua, si quem vnquam,* TE *dignum iudicant omnes quibus vitae* TVAE *probitas et eruditionis laus innotuit. Neminem fugit, amice, praeceptorum nostrorum Goettingensium, summorum virorum, erga* TE *animus; inprimis autem quid de* TE *vir, cuius nomen non nisi pia grataque mente pronunciare debemus,* RICHTERVS, *sentiat, quaque* TE *beneuolentia semper prosecutus sit, quis est nostrorum qui ignoret? Sufficerent mihi haec, vt merita* TVA, *vti par est, praedicarem, etiamsi mihi, pro ea quae inter nos fuit familiaritate, suauitatem amicitiae propius cognoscendi et ex* TVA *doctrina fructum capiendi facultas data non fuisset. Impedit modestia, quam in* TE *veneror, quo minus laudes* TVAS *hoc loco recenseam, nec ego sum is cui conueniat verbis extollere elogium doctrinae* TVAE, *cuius iam in specimine inaugurali luculenta testimonia exhibuisti. Hoc tantum mihi permittas, quaeso, vt amicitiae meae nunquam interiturae declarationem repetere simulque* TIBI *de meliori me commendare liceat. —* TV *vero, amice, perge procedere in ista via quam ingressus es, et fruere semper virtutum* TVARVM *iustis praemiis; nullus enim dubito, fore, vt omnia* TIBI *nunquam non ex voto succedant, siquidem virtutum dignus honor est. Sin minus, ante oculos habeto* SENECAE *illud egregie dictum:* VIRTVTVM PRETIVM IN IPSIS EST; RECTE FACTI MERCES EST, FECISSE. *Vale.*

Dab. Goettingae, Id. Nouemb. MDCCLXXVI.

WILLICHIO SVO

S. P. D.

C. G. C. MÜLLER,

HOMBURGENSIS

OPPONENS.

Est profecto humana, imprimis iuuenum natura ea, vt ex tot hominibus, cum quibus in ciuitate quadam viuunt, plurimorum hominum os, formam, habitum, vitae genus cognoscant, vt cum multis consuetudinem, quanquam non frequentem habeant, vt ex his omnibus nonnullos, studiis, ingenii dotibus et animi indole sibi simillimos eligant, cum quibus coniunctissime et familiarissime viuere student. Hunc amicum ex pluribus electum si per diuturnum temporis spatium coniunctissimum tibi cognouisti, et inter multos amicissimum, tali amicitiae sane nomen summae familiaritatis denegare non poteris. En, amice carissime, tu mihi inter paucos is es, cui sanctissimun illud nomen familiarissimi et coniunctissimi amici ex vera animi mei sententia tribuere possum. Quo vtilior autem et iucundior mihi fuit nostra conuersatio, eo grauior mihi nunc impendit tuus, qui breui tempore instat, discessus. Sed est tristissima ea iuuenum conditio, fortem quidem et vehementem esse eorum in academia amicitiam, sed ne tantum quidem temporis (in academia saltem) constare posse, quantum ad stabiliendam eam et firmandam ad vitae nostrae finem vsque videtur necessarium. Persuasum tamen iam dudum mihi habui, amicitiam nostram, etsi per plura decennia non sit corroborata, inposterum quoque firmissimam duraturam, quod maiore cum fiducia publice a te peto, quo certius scio te id mihi negare nunquam posse. Vale. Dabam in Georgia Augusta d. VI. Decembr. MDCCLXXVI.

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

MAVRITIO VLRICO WILLICH

AMICO SVO INTER PAVCOS DILECTO

S. P. D.

I. C. O. OSTERMANN

OPPONENS.

Magna cum animi voluptate summoque gaudio munus opponentis mihi a TE ex singulari amicitia et fauore delatum, in me suscepi. Quid enim iucundius mihi accidere potuisset, quid suauius, quam occasio, laetissimum significandi animum, simulque TIBI publice gratulandi. Ex sincerrimo igitur animo TIBI pro meritos in arte nostra honores, quos propediem capesses, gratulor. Opto, vt hisce et virtute TVA et eruditione praemiis dignissimis incolumi sanitate quam diutissime fruaris, atque ego quidem toties vehementer gaudebo, quoties prospera TIBI ac felicia quaeuis contingere cognouerim. Me vero, licet abs TE remotum, vt ames, TVOque fauore non indignum aestimes, ea, qua par est, obseruantia peto. Vale. Dabam Goetting. d. VI. Decembr. MDCCLXXVI.

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

MAVRITIO WILLICH

PATRVELI ATQVE AMICO LONGE SVAVISSIMO


S. P. D.

L. C. WILLICH.

Nihil laetitiam superare potest quam animo percipio cum videam illum diem venire, quo TV, suauissime, summo in arte salutari honore ornaberis. Praemium hocce optimo iure promeruisti, et diligentiae TVAE eximiae, eruditioni summae, atque virtuti, haud denegari potuit. Cum omnis amor TVVS amicitiaque primo exinde tempore, quo in hanc Georgiam Augustam contendisti omnibus ex partibus sese ad me conuerteret, non possum quin animo sincero hac de laurea doctorali quam iam impetrabis, etiam atque etiam TIBI gratuler. Quod me hactenus semper amore amicitiaque haud vulgari dignatus es, gratias TIBI ago quam maximas, nihilque magis a TE peto, quam vt pergas me amare. Optimis vbique TE prosequor votis.

Vale amice suauissime mihique faue. Dabam Goettingae die VI. Decembris MDCCLXXVI.

[illegible]


BI
AU